

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Iulianu Autokratoros Ta Sōzomena, Kai Tu En Agiois Kyrillu Archiepiskopu Alexandreias Pros Ta Tu En Atheois Iulianu Logoi Dekα

**Julian <Römisches Reich, Kaiser>**

**Lipsiae, Anno MDCXCVI.**

Widmungsbrief (an Giuliano de Medici)

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1694](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1694)


THEODORI MARCILII

Parisii, a. 1583.

*Epistola nuncupatoria*

IVLIANI HYMNO IN SOLEM REGEM,

(qui ORATIONIS IV. locum tenet in hac  
editione) pramissa.



*Illustrissimo & reuerendissimo*

ARCHIEPISCOPO

IVLIANO MEDICEO

Albientium Episcopo

amplissimo.



Uotiescunque Iuliani principis hymnum de Sole  
in manus sumo, IVLIANE MEDICEE,  
Archiepiscope amplissime, toties Pentheum  
aliquem direptum a Bacchis, aut Deipho-  
bum,

lacerum crudeliter ora

Ora manusque ambas,

*Virgil. Aen. 6, 495*

videre mihi videor: sic eum librariorum vel inscientia, vel  
temeritas, vel utrumque, pessime accepit. Quum tamen ex-  
emplar eius descriptum superioribus diebus accepissem Toletum  
ex Hispania, simulque intellexissem Lutetiae libros Iuliani,  
non eos solum, qui haecenus exierunt, sed etiam alios qui  
nunc primum ex rebus obliuuiis eruti sunt, formis aeneis ele-  
gantissime describi, egissentque nonnulli mecum, ut Solis regis  
hymnum iis adiungerem, feci non inuitus: vel quoniam res  
digna videbatur quae in manus hominum perueniret; vel ut  
studia eorum, quibus bibliothecae libris manuscriptis affluen-  
tes patent, ad perquirendum exemplar emendatius, incita-  
rem. Etsi autem ista, quasi Absyrti membrorum collecta,  
dispersio, idonea non est, quae tibi offeratur; qui quum sis o-  
mni dignitate princeps, nihil nisi perfectum ingenio numeros-  
que

que omnes habens accipere debes ; me tamen , ita ut facerem , multæ res impulerunt . Principio enim prætermittere non debui , quin pro eximia tua in me humanitate significationem aliquam tibi animi grati ac memoris darem . Itaque quum de meo non possem , a IULIANO , ut loquitur Seneca , numerationem feci . Deinde autem cuiusnam rectius vigiliæ mitterentur , abundantis doctrina , incredibili quadam varietate rerum & copia principis IULIANI , quam tibi , IULIANE MEDICEÆ ; qui quum sis omni laude par summis , inferior nemine , tum vero in maximarum artium disciplinis ita præcellis , ut obtinere videaris ingenii doctrinæque totius principatum ? Accessit eodem , quod fore speravi ut exemplar huiusce libri alterum , quod in Reginae Matris bibliotheca est , auctoritate tua promeretur . Quod quidem ut effectum velis , maiorem in modum a te peto . Nam & optimarum artium studiosis pergratum feceris , & genti Mediceæ valde consentaneum , ex cuius bibliotheca locupletissimi auctores , tanquam ex equo Troiano Homeri principes , exierunt . Neque videri poterit munus alienum a persona Reginae Matris , omnium quæ sunt , fuerunt , erunt virtute , sapientia ac gloria principis : ex cuius thesauris quid convenientius depromi potest , quam scripta principis Romani , qui ad laudem bellicæ doctrinæ ingenii gloriam adiecit , claritatemque generis sui multis artium maximarum disciplinis ornauit ? Præsertim vero quum is sit IULIANUS , qui non plebeios tantum litteris deditos plurimum delectare possit , tum subtilitate tum copia ; sed etiam cuius exemplo permoti principes , bonarum rerum disciplinas adamare incipiant & humanitatem : persuasi pro eo ac debent , parum esse principi , equum regere scienter , aut viribus & lacertis pugnare , nisi consilio sapientiæque opibus abundarit . Sed non faciam longius , ne <sup>ωλεομεν</sup> IULIANO ipsi præripiam partes apud te dicendi . Vale . Lutetiæ IV Kal. Maji c. l. lxxxiii .

Illustrissimæ & reuerendissimæ  
Dominationi tuæ

deuinctissimus

THEODORVS MARCILIVS.  
THEO-